


FRANCISCI  
V A L L E S I I  
COVARRVBIENSIS

I N

Libros HIPPOCRATIS de MORBIS populari-  
bus COMMENTARIA, magnam vtriusq.  
Medicinæ, theoricæ inquam &  
practicæ, partem con-  
tinentia.



*JOANNIS PETRI ATROLDI Marcellini operâ  
et industriâ fidelius elegantiusq; nunc  
quàm prius excusa.*

Cum INDICE Rerum & Verborum locupletissimo.



*et ergo d. vnde hanc*

COLONIAE  
IOANNIS BAPTISTAE CIOTTI Senensis aere.  
cid id xxviii.

—  
IO. PETRI AYROLIDI MARCELLINI  
PHILOSOPHI AC MEDICI PRAEFATIO  
IN COMMENTARIA DE MORBIS  
popularibus FRANCISCI VALLESII  
COURRUBIANI.

**M**agna res est, & ore omnium à Deo Opt. Max. expedita sanitas: qua quius homo se placidè incundeq; frui tunc arbitratur, cùm actiones partium corporis, que vita v̄sibus inferuiunt, citra noxam obire potest. Huc tendunt curælorum vota mortalium: bac est summa curarum, bac est summa rerum expetendarum. Cui sanitas adest, huic nihil prorsus ad vitæ necessaria, & animalis conseruationem deest, cui sanitatis deest, huic de sunt omnia. Inueniuntur qui regna non optent: qui verò sanitatem repudiet, nullus existit: nemo enim non sanus esse vult, nemo non sanitatem summum bonorum esse consentit: à qua tanquam perenni quodam & lucidissimo purissimoq; fonte, quicquid est in hominum vita iucundum & laudabile, continenter es- fluit. Id cùn satis perse manifestum sit, ex eo fieri potest manifestissimum, si proprium bonum ac finem paulò altius velimus considerare. Nam ( ut docent Philosophi ) duplicitia sunt in primis bona hominis, altera ad corpus, altera ad animum pertinentia, quorum illa vel extra corpus sunt, vel in ipso corpore; atque ita sunt duo bonorum genera, quorum tamen ea quæ in ipso corpore sunt, præstant eis, quæ sunt extra corpus. Rūsus quæ ad animum referuntur, aut extra animum, aut in ipso animo sunt, ita sunt alia duo bonorum genera: quorum ea quæ sunt in animo, præstant eis, quæ sunt extra animum. Eorum bonorum, que ad corpus quidem referuntur, sed sunt extra corpus, sptem species numerat. Aristoteles, hoc est, nobilitatem, gra- tiā, amicitiam proborum hominum, diuitias, bonam prolem, multitudinem filiorum, facilem senectuēm. Secundo loco ponuntur ea bona, que sunt in corpore, quorum species quinque numerantur, bona valetudo, pulcritudo, vires, magnitudo, certandi robur. Tertio loco po- nuntur ea bona, que ad animum quidem referuntur, sed tamen extra animum sunt, atq; huius generis tres numerantur species, gloria, honor, perpetua fortuna. Quarto & ultimo loco po- nuntur animi bona, que est virtus, & quatuor eius species, prudentia, foritudo, iustitia, tem- perantia. Hac omnia cùm animi, tum corporis bona trifariani adhuc distribuuntur: aut enim in aetione, vel in contemplatione, vel in vita que simul consistunt: quibus qui prædictus fuerit, ei nihil omnino deerit, ad benè beatęq; viuendum; sed cùn homo sine sanitate, que omnis felici- citatis fundamentum est, & totius substrictionis basis, neque agere, neque contemplari possit, liquido constare debet, quod quis sanitatem possidet, omnia bona cumulata habeat, vi verè is ab Aristotele dicatur *αὐταρχέστερος*, quasi per seipsum maximè contentus, neq; quicquam vltro desiderans. Nam omnes honestas actiones ( ut à corporis bonis exordiar ) propter quas ho- mines solas laudari merito consueverunt, quis non intelligit ab optimis & debita elementorum conuenientia, ex quibus constamus, quam *εργατικούς* & *οὐρανίους* vocant, promanare? quis egregias res gerere valeat, nisi qui partium corporis ministerio, ad eas quæ in vita necessariae sunt actiones obeundas, sine aliquo vitio perfungi potuerit? & mehercule si vera dispergimus, si curiosè curia perpendimus sola corporis constitutione, in qua nec doloribus cruciamur, neque in vita actionibus impedimur, opus est omnibus. Nam si verissimam eam esse ratio- nem existinamus, qua efficitur, animi facultates ex corporis temperaturis consequi, ac non so- lum eas, que ad partem illam pertinent, que irarum & stufluctuat, queq; voluptate alitur, sed etiam omnes, que sunt eius, in qua mens & ratio elucet. Si denique in parte animi, que cogi- tandi fungitur munere, cognitio & ignoratio maiores, minorēsque sunt, propter varias corporis temperaturas,

P R A E F A T I O.

temperaturas, quemadmodum recte & scienter ait Galenus lib. quod animi mores temperaturam sequuntur, profecto sanitatis tanquam mentis oculus vnde lucidissimus in optima partium similarium ac instrumentalium compositione, figura, magnitudine, optimoq; situ consitens vita luxerit, bonarum operationum lumen, magistra morum, rerum exploratrix, celi & mundi contemplatrix, erit omnium rerum pulcherrimarum, quasi preciosissimus quidam thesaurus, & tanquam smaragdus preciosissimus suauiter ac perpetuo virebit. Sola enim contra fata depugnat, eaque identidem expugnat: vitam prorogat, cunctarum operationum nostrarum Regina: quam omnes homines praeципuum Deorum donum esse cognoscunt. Et enim temperatissimus homo omnes cum naturales, tum animales virtutes inculpatas habet, ac perfectum animum. Is autem perfectus est animus, qui a vera perfectaque mente proficitur: unde modum est exemplar pulcherrimum omnium suarum actionum deducit. Quid? quod virtus quoq; nisi sanitatis lumen accedit, non satis fungi officio suo potest? omnino iacet in tenebris, neque diuinum illum fulgorem suum explicare potens est. Atq; animus sine meatuum ac instrumentorum symmetria, calidine, & frigidi, & humidi, & siccii temperie, philosophariorum valet de natura rebus occultis, de celo, de syderum magnitudinibus, interuallis, cursibus, de numeris ac motibus; neque studiosè tractare, unde omnia orientur, quoue recedant: nec in altitudinis studio celo etiam ipso sublimiora quaepiam vestigare: quid sit Deus? An ad nos aliquando respiciat, faciat quotidie aliquid, an semel fecerit? Pars mundi sit, an mundus? An mundi anima: an potius opifex? Liceatne illi lege fatorum aliquid derogare? Per hanc, inquam, optimam corporis constitutionem tantam nobis industriam, tantum mentis acumen, tantam solertia inspirari video, ut celestes etiam globos cognitione penetremus, & quasdam ibi naturas ab omni mortalitate separatas intelligamus, quarum summa: sit ratio sempiterna, quam eandem mentem sapientiamque perfectam & Deum appellamus. Accedit praeterea quod tot facta memorabilia domi, militiaeque, tot res gestae, tot dimications, tot prælia, tot triumphi, tot imperia, que maxima cum laude celebrantur, iam pridem sine corporis & animi valetudine in eternam obliusionem concessissent. Vanus esset omnis labor nosler, corpore præter naturam dispositio, quod non posset recte operari. Vana spes omnis posteritatis, vani conatus, vigilie, curæ, solicitudines, occideret vna cum corpore rerū omnium gestarum memoria, nulla laus esset hominirelicta post cineres, quam vnam mercedem laborum ac periculorum suorum virtus maximè desiderat. Iure igitur apud Platonem in Gorgia canticio coniugalis celebratur: optimi quidem esse bene valere, secundo loco formosum esse, tertio habere diuitias bono modo partas. Idem mox paulò nihil, inquit, sanitate est melius. Academici & Peripatetici probant haec prima naturæ: in quibus numerant incolumentem, valetudinem, sensus integros, doloris vacuitatem, vires, pulchritudinem. Sine pulchritudine, que in symmetria & optima corporis compositione consistit, non potest esse absoluta felicitas; ideoque dixit Aristoteles, quod non satis idoneus est ad felicitatem homo penitus deformis. Est enim forma Dei mensus, & vt inquit Homerus, θεοί τε καὶ δῆμοι, Deorum dona gloria negaqueam aspernanda. Ad haec nullares bona valetudine magis discusserit caliginem illam nebulae crassissimam, que vt duo poetarum clarissimi prodiderunt, obtutus mortalium hebetat, mentesq; obducit, oppenso ignorationis velamento. Unde vulgarissimus est ille festiu Poeta versiculos vice prouerby celebratus:

Non est vivere, sed valere vita.

Concludendum itaque, quod cum ipsum corpus sit vas, & veluti organum animi, animus futurus corporis sustentatus, philosophiam primus, ceterasq; virtutes omnes deuocauit e celo, in orbibus collocauit, & in domos etiam introduxit, & coegit de vita & moribus, rebusq; bonis & malis querere, quibus virtutibus homines proximè ad Deorum immortalium dignitatem

P R A E F A T I O N

accidunt. Quod ergo, Di immortales, ingenium tam acre, tam sublimē, tam varium, tam fuscundū, qui tantus eloquentie torreus iuxteni potest, qui sanitatis præstantiam possit oratione comprehendere? Ut semel dicam, sanitatis nihil est in terris, nihil in mari, nihil denique in viuuerso mundi ambitu ut ilius mortalibus, quam potius admirari, et tanquam è longinquo loco suspicere, quād dignis laudibus exornare valemus, ut amplissimè recenset Galenus in libro Declararum. Quae cūm ita sint, liquidò inter omnes debet constare eam artem, quæ præseniem sanitatem defendit, et amissam recuperat, ceteris omnibus esse digniorem, de cœlo proferat, ac propemodum dirivit. Quam primum inuenit Apollo, amphificauit Esculapius, perfecit Hippocrates: cui taudem Galenus Hippocratem sequutus, extremam manum impausit. Nam primum (ut Latinus Hippocrates Cornelius Celsus inquit) medeudiscentias apientie pars habebatur: ut et morborum curatio, et rerum naturæ contemplatio sub iisdem auctoribus nata sit: idè multos ex sapientiae Professoribus eius, constat fuisse peritos, ac in primis Pythagoram, Empedoclem, Democritum. Medicinae dotes, et inestimabilis inter alias artes præstantia, vel hoc uno argumento demonstrari possunt, quod nihil est in omnium rerum natura quod sit vita dono melius, nihil quod charius, quod iucundius, nec optabilius. Eam vitam si quis cumq; prudens abstulerit, volunt iubentq; ciuiles leges, ut is vita quoque miser priuetur, sed ita sane ut viuiera, quæ possidebat bona aerario publico nunc temporis addicantur, ut nec minima quidem partis illorum heredes potiri permittantur. Non enim longiori vita dignum esse censem eum, qui vita tam inestimabili, tamq; charo munere, quod optimum nobis largitus est Deus, hominem priuauerit. In more positum ob id est, ut præmium ac pietatem, tanquam λόγον ei debeamus, qui hostem à capite nostro depulerit, quod obliterit, ac efficerit quominus vita destitueretur. Quid igitur medicinae non debemus, quæ pro nobis seruandis, cūm tot capitalibus vita hostibus sic quotidie depugnat, ut nos à morte frequenter liberet? iam deploratos, iam defletos, iam in familia orci numeratos, luci, aur. eque vitali persæpe restituat? Complurium inorborum tanta vis esse solet, ut certam mortem inferat, nisi præsens occurriterit Medicus, velut stupor, et spiritus angustia, quæ non unquam mulieribus potissimum accidunt, velut syncope, præcepsq; virium lapsus, paralysis, lethargus, et apoplexia. Quamobrem iubent etiam diuinæ literæ Medicis honorem suum habent, non ob utilitatem modò, sed et propter necessitatem, ut in ceteros quidem benemeritos artifices ingratitudinis in Medicos verò nisi referatur, aut agnoscatur gratia, impietas. O diuina igitur scientia, o sanctam philosophiam, o seruaticem medicinam, o gratiam cœlitus hominibus insusani. Quis est euim qui ne sciat, nihil esse tam excellens, tam sanctum, tam religiosum, quod merito possit cum medicinae cognitione comparari. Quod cūm agnouissent antiqui illi prudentissimi, ac sapientissimi viri, quorum gloria disseminata in orbis terræ memoriam sempiternam, huic arti tantum honoris tribuere, ut Diis inuictores suos assignauerint, cæloq; dicauerint, ac diuinis honoribus dignos existinuerint: veluti Asclepiadem, quem Ilyrici instar numinis receptum, Herculi louis filio in honoribus æquarunt. Apollinem et Esculapium eius filium onutto, quos ob id Archiatros, quasi principes Medicorum dixit antiquitas. Neq; hos solum, sed etiam Medicos omnes omni studio et honore prosequutisunt. Nam cui non auditum est Senatum populumq; Atheniensium summum ingeniorum ac litterarum fautorē, olim ex Senatus consilio Hippocratem mysteriorum Cereris participem fecisse, et aurea corona mille aureorum pondio coronasse, ac tonsurauisse pueris Coorum omnibus licere puerilem ætatem Athenis agere, et institui, quod eorum patria taleni virum produxisset, et ipsum quoq; ut omnes liberalium artium professores solebant, ciuitate donari, publice q; in curia nutriti. Quodq; medicinam primus in densissima nocte latenter in artem redigisset, et medicinæ quamplurimos libros conscripsisset, ac sine iniuria in lucem protulisset, mulios in futurum Medicos fore cupiens, qui langueutes homines à variis morbis

## P R A E F A T I O .

morbis seruarent, illi publicè simulachrum erexerunt, & vno omnium consensu primas in medica-  
 dicina detulerunt, quemadmodum & vniuersa posteritas libentissimè semper detulit; & de-  
 ferre debet: non solum quòd multa reperit, quæ ex seipso ex cogitārat, verū etiam quòd a  
 liorum inuenta, si qua tandem erat, primus is fuit, cuius beneficio cognoscere potuerimus. Cui  
 verò secundas debere nos fateamur, præter vnum Galenum nostrum à Deo excitatū, vt hanc  
 artem retineret, & ad posteros conseruaret: erit quidem nemo. Rursumq; primas idem sibi sc̄o-  
 pè vendicat, speculationum plurimarum ac potissimum inuentor, & alienarum conserua-  
 tor, ac veluti depositarius fidelissimus, promusq; cùm opus est, depositi cuiuscunque paratiſſi-  
 mus. Incredibile dictu est, quam ſep̄ mecum admirer huīs viri ſtudium, ac diligentiam in  
 perquirendis, & memorie prodendis rebus omnibus, quæ ad medicam omnem artem perti-  
 neant, quem non famēs, non ſitīs, non frigus, nō immensa pericula retrahebant: nihil erat tam  
 arduum, nihil tam difficile, nihil tam periculōsum in Hippocratis ſcriptis, quod diſcendi deſi-  
 derio non adiret, lucemque afferret apertissimam. Omnia loca peragravit, omnes regiones;  
 in quibus aliquid egregium, & cognitione dignum percipere poſſe confidebat. Itaque non mi-  
 rum eſt, ſi tantum de ſe nomen, tantum decus, tantam memoriam reliquerit. Hunc igitur v-  
 num, quicunque Hippocratica arte dignus, imitetur, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriari  
 querit. non diſcedat à duobus hiſtories antesignanis Hippocrate & Galeno, fruſtra alibi queſi-  
 turus, quod non apud hos anteā doctius explicatiuſque dictum propositumque fuit: quorū  
 disciplina coniuncta integrā ſerè diſtūt artem. Nam multa, quæ Hippocrati deſunt, a-  
 pud Galenum inueniuntur: quædam, quæ in Galeno deſiderantur, ſubministrat Hippocra-  
 tes. Quare dum viuent literæ, & Galenus in Hippocrate, & Hippocrates in Galeno viuet.  
 Euoluendi igitur toti, ex quo iuſtam concipere medicinæ rationem poſſimus: auctores hi non  
 fruſtulatim diſcerpendi; neque præstat ſemel, atque iterum legiſſe, itenanda ſepe, aliquando  
 tertiana, & ambabus (quod aiunt) manibus atque obuijs vlnis amplectenda, & inſtru ge-  
 ſlanda, memorieq; mandanda. Et profecto ſunt libri, per quos quarto ac quinto, atque hoc e-  
 tiam amplius agenda lectione ſit. Ac tum demum cùm hæc fecerimus, multū nos proficiſſe ſcia-  
 mus, cum longe valere iuſſis Arabibus, & id genus alijs in eptis Scriptoribus, duo certè hæc  
 præclara naturæ lumina, nobis placere incepérunt; & ſi quando à quopiam citabuntur, ut fit,  
 non tanquam peregrini, ſed tanquam familiares locos percurrere commodius, in eisque verſa-  
 ri poterimus. agnoscentes facile, & prima medijs, hæc que nouissimi conferentes. In Hippo-  
 crate & Galeno probando conſpirare omnē ſtam amuſoteri, quām litterati, nec tam pedibus  
 quām animis in eandem ſententiam laudationis ire debent. Omnis igitur, qui tam præcipiti, ac  
 temerario iudicio vtens, cogitationes suas ita diſtrahi patitur, ut hos duos Authores clancu-  
 lum in angulis vellacet, conuicij ſque inſecletur (quæ pefſis, ac pernicioſa lues multos noſtrorum  
 temporum inuafit) vnde gloriam adipisci ſperans, omnino contemni debet; & in cœnō impe-  
 ritiae, vt lutulenta ſus inuolutum, hac nota inuſtum iri cengeo, quòd iure ab omni eruditiorum  
 cœtu arceatur, exſibiletur, explodatur. Formidandus præterea eſt, vt viperæ, odium publi-  
 cum futurus, non ſecus quām qui parentibus maledixerit. Quod ſi quis peruafum habuerit;  
 nihil in arte medica tam eſſe obſcurum, nihil tam reconditum, nihil tam admirabile, quod non  
 poſſit ex Hippocratis, & eius elegantiſſimi, doctiſſimi, & veri interpretis Galeni lectione fa-  
 cilē percipi & illuſtrari, ingenij acumine penetrari, ſtudio atque industria ſuperari, omnimo-  
 dis laudibus celebrandus, honoris & amoris cauſa nominandus, eius libri ſi extant Hippo-  
 craticam, & Galeni docendi maiestatem, & optimâ principia exprimentes aſſidue perlegen-  
 di. Quales fuerunt proxiimo ſuperiore tempore; & ſunt in præſentia præclarissimi aliquot &  
 maximū viri, qui hac in repartim viua voce docendo, partim editis doctiſſimis ſcriptis magna  
 cum ſua laude, & vniuersi orbis utilitate versati ſunt, ac versantur; Nicolaus Leonicenus

P R A E F A T I O.

Vicentinus clarissimus Medicus, qui primus Galeni monumenta è tenebris eruit, multa Latina fecit, & eius placita elegantissimis & politissimis literis aperuit. Matthæus Curtius vir omnium scientiarum, ac præcipue medicæ artis scientissimus, ex cuius schola & disciplina, tanquam ex equo Troiano prodierunt quamplurimi viri illustres, qui omnes propemodum terras liberalibus disciplinis, artibusq; & in primis medendi peritia compleuerunt. Ioan. Manardus Ferrariensis omnium in Galeni doctrina, & Arabum censura celeberrimus & optimè meritus. Victor Trincauelli Philosophus & Medicus singularis, cuius tanta apud omnes mortales existimatio fuit, tanta auctoritas, ut frustra quis prædicet, quo ingenio, qua doctrina hic fuerit. Scientissima enim & plurima extant ingenij monumenta, quæ, quod omnibus ferè obvia sunt, & vulgo notissima, recensere consilium nō est. Nicolaus Boldonius Mediolanensis, Specimen quoddam nationis nostræ admirabile, qui paucis ab hinc annis inuidio fato nobis fuit erexit, cuius mors, tanquam nostra calamitas, acerbissimo est animi sensu, & lachrymis deploranda. Et Comes Montanus Vicentinus excellenti natura & singulari eruditione præclarissimusq; editis libris clarissimus, qui iam senio tandem confectus, nuper in patria requieuit. Bernardinus Paternus præceptor meus, ad omnes cuiusq; generis virtutes percipiendas & exercendas diuino consilio natus, cui acceptum referre oportet, quod hodie post tot peruersorum ac planè monstrosum dogmatum antecellentes, totum ferè terrarum orbem contaminantes, Galeni placita euertentes, & contraria inuehentes, legitima, ac vera artis præcepta, ex quorum præscripto medicinam facere liceat, habeamus. Mercurialis, quæ ego præceptorem faustissimum fidere totos tres annos audiui, de cuius præstantis sapientia omnes gentes prædicat: quas eum oras non peruersit virtus, ac fama nominis illius: vincet nomē eius omnia secula, atq; in omnium ore versabitur. Siquidem vera ac solida gloria illa putanda est, quam sibi suis laudissimis scriptis comparauit. Alexander Massaria Medicus ac Philosophus, & linguarum & scientiarum cognitione verè illustris, mihi plus quam Pyladæa necessitudine coniunctus, quem ego mortalium omnium plurimi facio; cuius ab ore nuelle dulciorem fluere sonum cum alijs modis, tum præcipue in medicis consultationibus, quæ apud ægrotos quotidie instituuntur summa cum omnium admiratione audire consueui. In medicina enim cum facienda tum docenda cæteris adeò omnibus (mea quidem sententia) mirificè antecellit, ut nemo proprius ad veterem illam ac venerandam Hippocratis & Galeni maiestatem videatur accedere. quare summo cum suo merito facilius est, ut hoc ipso tempore, quo haec scribimus amplissimi & illustrissimi Senatus Veneti decreto primam docendi cathedram in celeberrima Schola Patauina honorificentissima conditione fuerit consequutus. Franciscus Comes Mediolanensis affinis meus, Primi Comitis, non solum primi nomine, sed etiam re primi, frater, qui ut omni genere scientiarum antecellit, ita medicinam pari laude ac celebritate apud Herbenses facit. Sunt & alij multi, quos recensere longum esset, sed inter eos, qui nostram artem & viua voce & scriptis quam maximè iuuarunt & illustrarunt, præcipuum certè locum mihi videtur obtinere sapientissimus, & Medicorum omnium buius ætatis excellentissimus Franciscus Vallesius Couarruianus Philippi Hispaniarum Regis secundi dæcianæ amplissimus, veterum Galeni, & illo antiquioris Hippocratis dogmatum defensor acerrimus, Hispanorum decus & ornamentum, flos illibatus populi, suadæq; medulla, quod olim Ennius de Cornelio Cethego prædicauit. Longum esset huius viri laudes breui oratione contexere, quod & superuacuum foret, cum ipse iam diligentia & labore, doctissimisq; ac politissimis scriptis suis ad eam dignitatem peruererit, ad quam

— pauci, quos æquus amauit  
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus,  
Diis geniti potuere.—

P R A E F A T I O.

atq; in medicina facienda, docendaq; tanta prudentia, religione, peritia præcellat, vt nulla re-  
gio sit in terris, ad quam nominis illius fama non perueraserit. Nam quis non admiretur, si benè  
intelligat, quām conquista cura, quamq; apte, distincte, ornatè duos illos libros, alterum Con-  
troversiarum medicinalium, alterum Controversiarum naturalium ad tyrones conscripsit,  
atq; enī data diligenter exposuerit? ne reliqua prætermittam, qua sunt ab hoc auctore diuinus  
tus conscripta. Libellum de Locis manifeste pugnantibus apud Galenū, his rationibus à  
Vallesio in lucem editum, omnibus que à Galeno scripta extant perlustratis, que manifeste  
pugnant eximendo: vt studiosi his notatis reliqua incepsitanter perlegere possint. Commen-  
taria præstantissima in libros Physicorum, & in quartum Meteororum Aristotelis. Librum  
præterea, in quo compendiosè scripsit de Pulsibus, vrinis & febribus. Scholia in libros Gal.  
de Locis affectis. Explanationes in libros eiusdem de Differēn. febr. In Artem medicinalem.  
In libellum de hæquali intemperie. In tertium de Temperamentis, & quinque priores libros  
de Simplicium medicamentorum facultate. Postremò Commentaria in Aphorismos, in Pro-  
gnosticum, in libros de Ratione viellus in morbis acutis, & in libellum de Alimento Hippo-  
cratis, que omnia penes me sunt, vna cum nonnullis ipsius autoris manu exaratis. In qui-  
bus omnibus tantum suavitate & breuitate dicendi præstat, vt nemo hos libros cognoscat, qui  
pro ratione dicta ipsius non habeat, & ad hunc, quasi ad quendam multò commodiorem expli-  
catorem sèpè reuertatur: qui non tantum de arte medico loquitur, quod alijs plerique faciunt,  
sed id etiam ex arte, atq; adeò artificioſſimè facit. Quoniam verò non satis est præcepta vni-  
uersalia addiscere, vt & promptè in operibus absque exercitatione dignoscantur, ob id gratia  
exercitationis, cùm de medica praxi in amicorum & discipulorum gratiam scribenda cogi-  
caret, admirandum hoc opus in libros de Vulgaribus morbis scripsit, quod vniuersam & ge-  
neralem propriamq; & rotantium historiam complectitur. Quanobrem si usquam Vallesius  
doctrinam summam atque eruditionem ostendit, in his certè libris de Vulgaribus morbis tam  
multa recondita inferuit, & ex int̄imis disciplinis decerpta, atq; delibata, vt nihil doctius aut  
eruditius ex cogitari posse, quæ non nisi magno studio, diligentijq; consideratione possunt intel-  
ligi, ita ornauit & illustrauit hos septem Epidemiōn libros, vt nihil prætermiserit eorum,  
que ad veram Hippocratis intelligentiam facere possunt: multarum rerum inuentor, pluri-  
marum corrector, ac vindic, omnium illustrator, qui quasi Sol, de suo lumine lumen nobis ac-  
cendens commonstrauit viam apertā, ac facilē, vt passim & ordinatim iremus ad eam me-  
dicinae partem, que solius salutis humanae causa à Dys concessa hominibus, & haec tenus pro-  
rogata est, & tota in opere consistit. Quare si magna, si præclara, si denique diuina sunt, que  
ab Hippocrate in his libris traduntur, vestra opus erit attentione. Lectores studioſissimi, dum  
haec artis medicae disputationes, hos fontes, hos rerum preciosissimarum Thesaurorum morbi naturam  
docentes, interpretatione sua Vallesius aperit, quos si degustare semel coperitis, non tantum  
summam ex eis utilitatem, sed etiam tam incredibilem iucunditatem percipietis, vt nihil vos  
aliud magis deleclare possit. Ceterum ego operam dabo, vt hac eadem forma, reliqua omnia  
in apertum proferantur, atque in hominum manus perueniant, & longum noto scriptori pro-  
rogent æcum. Sed iam Vallestum ipsum loquentem, & ab Hippocrate dicta,  
quadam eximia ratione explicantem, atque illumi-  
nantem omnia, audiamus.